

2/94

IDIBVS MAIIS

MCMXCIV



RVMOR VARIVS



IMPRESSUM

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TURICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS
LATINA TURICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Editio: CCCXXX

Auflage: 330

Pretium subnotationis (annuum):

Abonnementspreis (jährlich):

In Helvetia	sFr. 20.--
In Germania	DM 32.--
In Austria	ÖS 230.--
In ceteris Europae terris	sFr. 30.--
In terris trans maria sitis	US\$ 24.--

Schweiz	sFr. 20.--
Deutschland	DM 32.--
Oesterreich	ÖS 230.--
Uebrigis Europa	sFr. 30.--
Uebersee	US\$ 24.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Collegium redactorum:

Redaktionsteam:

Udalricus Aeschlimann lic. phil.
Dr. phil. Emanuel Bernard
Dr. med. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Ulrich Aeschlimann lic. phil.
Dr. phil. Emanuel Bernard
Dr. med. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Grafik und Layout:

Christina Meier-Portner

Christine Meier-Portner

Typographaeum:

Druck:

Copy Quick, Solothurn

Copy Quick, Solothurn

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH - 8050 Zürich


RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH - 8050 Zürich

Institutum pecuniarium:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

Bankverbindung:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!



Huius paginae imaginem spectantes forsitan quaeratis, quid in ea demonstratur: 'Abies Maia' nostris finibus vocatur, nonnumquam etiam 'betulla pentecostalis' dici videtur. Mos enim antiquus est in regionibus quibusdam terrae nostrae et, puto, in aliis quoque terris: Nocte, quae Kalendis Maiis antecedit et vigiliae Sanctae Valpurgis nominatur, iuvenes vicorum ante domos puellarum inuptarum et aetate nubilium, quas amant vel venerantur, abietes collocant. Id clam et noctu fit. Abietis rami absciduntur, cacumen tantum arboris taeniis variis ornatum superest (quod in imagine videtis). Abies usque ad finem mensis Maii ante domum stat. Tum iuvenibus spes est se a puellis, quarum ante domos abietes collocaverunt, invitatum et ad cenam acceptum iri, quod mos exigit. Vici puellae vel mulieres, quae displicuerunt, nonnumquam ante domos suas abietes macras vel pupas stramineas inveniunt. Secundum opinionem vulgi veterem omnia animalia, in quibus arbores quoque numerantur, vigorem salubrem effundere possunt. Arbores imprimis salubres ducuntur. Itaque - secundum hanc opinionem - arbores prope homines stantes bonam valetudinem et salutem in eos transfundunt.

Is mos anno 1200° fere ortus esse traditur, cum in Bavaria imprimis sacerdotibus, pastoribus ecclesiasticis praefectisque vicorum tales arbores apportabantur.

Nostra autem aetate iuvenes abietes quam proxime ante fenestras puellarum, quas imprimis diligunt vel amant, collocant. Abietes eligunt propterea, quod illae arbores haud cito marcescunt foliis pineatis. Ex viginti fere annis praeterea mos est nomen puellae, cui abies dedicata est, in tabula lignea, quae in arbore figitur, inscribi.

Praeterea in hoc libello - inter alia scilicet - nonnulla ad Italiam pertinentia legere poteritis, velut relationes de Pompeiis et de inscriptionibus ibi inventis, carmina de condicionibus hodiernae Italiae, praeterea incipimus divulgare narrationem titulo 'Gibber' nobis ex Italia missam, cuius continuationes in proximis libellis RUMORIS VARIi sequentur.

Gaudeatis igitur RUMOREM VARIUM legentes, sed etiam vere ineunte et noctibus odorum mirorum, velut syringae et liliorum convalliorum aliorumque florum vernalium plenis fruentes!

Valete!

D. We
Daniel Weissmann



DE ORIGINE URBS POMPEIORUM


Origo nominis urbis Pompeiorum incerta est. Fortasse nomen e verbo Graeco 'Pempo pompé' (πέμπω πομπή) derivandum est. Urbs quoque originis Oscae esse fertur. Osci erant incolae regionis Campaniae, qui multis bellis gestis a Romanis devicti sunt. Constat urbem iam quarto a. Chr. n. saeculo conditam esse. Moenibus firmis cingebatur. Urbs situ excellit. Sita enim est in colle quodam, unde planities Sarni fluvii mare petentis aspici potest. Nautae

audacissimi Graecorum Phoenicumque locis iis valde favebant. Idonea enim erant ad mercaturas faciendas. Imprimis Graeci Cumis vitam degentes totum sinum maritimum Neapolis regebant. A Graecis urbs Pompeiorum oppugnata et subiecta est. Quinto a. Chr. saeculo Samnites Graecos superaverunt. Pompeiani tum moribus legibusque eorum vivebant. Postea urbs a Romanis capta est. Cui nomen 'Colonia Cornelia Veneria' datum est. Temporibus Romanorum templa pulcherrima, balnea, theatrum novum exstructa sunt. Pompeiani brevi tempore linguam Latinam acceperunt. Sub imperatoribus Augusto et Tiberio multae domus villaeque imaginibus magnificis ornabantur.


Barbara Maier



Pompeii (nostra aetate)



Forum Pompeiorum



Peristylum domus Vettiorum

SOLUTIO

Ecce solutio aenigmatis anagrammatis paginae 15 libelli
1/94:

OMNIA VINCIT AMOR

(Vergilius, Ecl. 10, 69)



DE POMPEIANORUM INSCRIPTIONIBUS

Vos omnes certe de interitu urbis Pompeiorum audivistis. Anno p. Chr. n. LXXIX^o mons Vesuvius, terra concussa, nubem favillamque emisit. Incolae urbis aut flammis usti aut favilla inclusi sunt. Permulti morte oppressi sunt. Pauci evaserunt. Nostris autem temporibus ruinae Pompeiorum detectae sunt. Favilla lapidibusque demptis per vias antiquas ire licet. Nunc in museo rerum antiquarum urbis Basileae expositio magna fit. Multae reliquiae effossae ibi oculis praebentur.

Occasionem hanc captans vobis aliquas inscriptiones Pompeis inventas proponam:

Ante urbem erat via sepulcrorum. Multa monumenta ibi detecta sunt, in quibus varii tituli inscripti sunt. Mortuus quidam iocose loquitur:

"Dum vixi, bibi libenter; bibite vos, qui vivitis. Plaudite! Valete!"

Virgo quaedam morte praematura absumpta est:

"O nefas indignum. Virgo pervixit (= per totam vitam vixit). Nuptura sponso erepta est speciosa puella."

In muris aedificiorum variae inscriptiones inventae sunt:


Verba hominis aegri:

"Pituita (=mala nasi) me tenet."

In honorem cuiusdam meretricis: "Arphocras hic cum Drauca bene futuit denaro."


Verba filii amantis:
 "Actius Cossinae mammae suae plurimam salutem."
 Verba puellae iratae:
 "Virgula Tertio suo: indecens es."
 Verba cauponis:
 "Hospitium. Hic locatur triclinium cum tribus lectis et commodis."
 Ad vos, cari legentes, gaudium intellegendi.

Barbara Maier



Inscriptio discipuli:

Labyrinthus
 hic habitat
 Minotaurus



De meretrice:

Eutythis
 Graeca a(ssibus) II
 moribus bellis


Handwritten Latin text in a cursive script, likely a translation or commentary on the inscription above.

Inscriptio cursualis
 cuiusdam mulieris (me-
 retricis?):

Nucerea quaeres ad
 Porta Romana in Vico
 Venerio, Novelliam
 Primigeniam

Handwritten Latin text in a cursive script, likely a translation or commentary on the inscription above.

Marthae hoc triclinium



Facete lepideque dicta

Fabricae praefectus ad assistentem: "Totaliter confectus sum. Noster praeses consilii administrationis (1) hodie orationem plus trium horarum habuit."

Assistens: "Qua de re locutus est?"

Praefectus: "Id non dixit."

Rogat deversorii hospes puellam, quae conclavia in ordinem redigere solebat: "Invenistine mille francos in conclavi meo?" Puella: "Certo inveni. Maximas gratias tibi ago!"

Aliquis in campo lusorio (2) sedens ad alterum: "Dic mihi, estne haec persona inculta crinibus longis puer an puella?"

Alter: "Puella est."

Alter: "Quomodo id tam certo scis?"

Alter: "Filia mea est."

Alter: "O, veniam peto, scire non potui te eius matrem esse."

Alter: "Mater quidem non sum. Sum pater."

"Novissima tabula a te picta mihi displicuit", dixit medicus amicus ad pictorem Max Liebermann. "Digitus parvus manū dextrae paululo nimis magnus et supercilium sinistrum nimis hirsutum est. Nonne assentiris?" Pictor gemens respondit: "Ita est. Vellem ego quoque menda tua aequa mente vituperare posse. Sed ita est: Nostra menda in parietibus suspenduntur, vestra autem sub terra iacent."

Cum magister physicae aliqua machinula experimentum demonstraturus est, dixit: "Fluidum electricum tam validum est, ut bovem magnum facile necare possit. Propterea cavebo, ne machinulae nimis appropinquem."

Iulius ad amicum: "Munus vigilis nocturni mihi tributum est. Ut id celebremus, te ad nonnullas poculas invitare velim." Amicus: "Quid? Pecuniam in antecessum (3) tibi dederunt?" Iulius: "Non ita. Sed cubiculum meum vendidi."

Spurius autoraedam suam pessimo statu in officinam reparatoriam transportandam curat et functionario explicavit: "Contra murum vectus sum." Tum functionarius: "Quotiens?"

Cum in curia confoederationis functionaria quaedam non nupta gravida facta est, nonnulli collegae indignati sunt. Sed quidam praefectus officii dixit: "Nolite suscitari! Nam ex quo hic sum primum aliquid amore et voluptate inceptum est, cui manus pedesque sunt et quid intra novem menses confectum est!"

Aliquando cantator non maximo ingenio praeditus ad praefectum theatri: "Putasne publicum aliquid sentire me cantante?" Praefectus: "Certo; desiderium vehemens in vestiarium eundi pilleos palliaque petatum sentit."

* * * * *

"In theatro publicum heri spectaculo finito putida ova et tomatas in scaenam iaculatum est", Lucius amico narrat. Ille: "Sed certe applausus quoque datus est?"

Lucius: "Certo: Quotienscumque aliquis actorum tactus est."

Suspirans componista successu carens dixit: "Heu, post mortem meam denique cognoscent, qualis homo fuerim." Tum Arturo Toscanini, ille moderator musicorum clarissimus: "Eo melius tibi. Ita nulli periculo committeris."

Albius a parentibus amicae suae primum ad cenam invitatus est. Postea ad amicam: "Nolo affirmare matrem tuam coquam malam esse", ait, "sed tamen nunc intellego; qua de causa ante cenam semper oretis."

Bonifatius et Lucia vicinos suos improvise visitantes oppresserunt. Post quinque horas, cum domum reverterunt, Lucia ad Bonifatium: "Re vera eis bonum evenit, quod eos visitavimus. Vidistine, quam tristes et territi erant, cum advenimus, et quam hilares et laeti, cum abiimus?"

E colloquio importante cum producente cinematographico (4), cuius avaritia nota erat, actor cinematographicus Charlton Heston revertit. Amicus quidam eum interrogavit: "Cur manum tuam attente spectas?" Tum Heston: "Consuetudo vetus est. Quotienscumque isti homini prensatione manū (5)'vale' dixi, numero meos digitos examino, si re vera omnes adsunt."


Laelius poeta: "Mea carmina abhinc a duplice numero hominum leguntur quam antea." Tum collega quidam: "Quomodo id? Uxoremne duxisti?"

- | | |
|------------------------------|---|
| 1 consilium administrationis | Verwaltungsrat/ conseil d'administration/ consiglio d'amministrazione/ consejo de administración / management board |
| 2 campus lusorius | Spielplatz/ parc de jeux/ campo di giochi/ parque infantil/ play-ground |
| 3 pecunia in antecessum | Vorschuss/ avance/ anticipo/ anticipo de sueldo/ advance |

4 producens cinematographicus Filmproduzent/ producteur
 de cinéma/ produttore ci-
 nematografico/ productor
 cinematográfico/ producer

5 prensatio manūs Händedruck/ poignée de
 mains/ stretta di mano/
 apretón de manos/ hand-
 shake

Daniel Weissmann



**TELEVISIFICOS CAVEAMUS DISPUTATORES, PUBLICIS DE
 REBUS ORACULORUM INSTAR SENTENTIAS DANTES!**

Undis aëriis loqui sinuntur
 hic turpes famuli probare semper
 assueti dominum pudore nullo,
 illic plebicolae malos popelli
 impulsus refovere gestientes;
 immo vel pretio remunerari
 qui praesunt statuere iurgiosos
 vulgi, divitis aut eri, tribunos.
 Plerumque haud referenda proferuntur
 invicem maledicta, quae profecto
 immundum deceant quidem lupanar;
 falsum fingere num recusat ullus
 crimen, si putat esse factioni,
 cui prodesse studet, satis ferax id?
 Quem non suspicio ferit maligna,
 quam conflare valet scelesta turba?
 Linguae temperet aut quis indecorae,
 qua promuntur identidem venena?
 Quem nunc invenias suis paratum
 partibus vitio dare ulla menda?

Cuinam gratior esse veritatis
 lux mendaciloquo videtur ore?
 Vis, heu, quanta subest tubis sonoris,
 capsellisque quibus volans imago
 aedes multiplices inquit dolose!
 Progressus caveamus ista dona,
 Troiano vel equo magis timenda!

(Metrum: Catulli hendecasyllabi)

Orestes Carbonero



**EPIGRAMMATA AD PRAESENTES ITALICORUM CONDICIONES
 APTISSIME PERTINENTES**

**In publicos latrones, qui alios secum praecipites
 agere furatores gestiunt**

Publica qui rapuit bona furcifer absque pudore,
 imputat en aliis crimina nunc eadem.
 Haud aliter cicaro furti convictus edacis
 poenarum quaerit mente mala socios.

**In malos suffragiorum captatores, qui adversariis
 tantum obtreectare valeant**

Quae fieri studeat bona quisque petitor honorum
 expletis votis praetereunda silet;
 id longe praestat, maledicta vibrare inimicis,
 instincti quasi sint daemonicis stimulis.

Quis iudicabit iudices?

Iudicibus multos placuit dormire per annos,
cuncta velut recte progredierentur ibi;
nunc subito facti vigilantes anclare cloacam
ipsorum pergunt desidia putridam.

Orestes Carbonero



LINGUA LATINA APUD FINNICOS MULTUM VALET

Collega quidam linguae Latinae multum favens epistula a redactione Latina Radiophonicae Finnicae scriptam mihi nuper transmisit. Libentissime vobis continentia epistulae relatūra sum.

Nuntii radiophonici Latine emissi iam quinque annos e Finnia vulgantur. Programma Societatis Radiophonicae Finnicae maximo favore auditorum fruitur. Cum horarium nuntiorum Latinorum propter causas astronomicas rationesque technicas mutetur, Radiophonia Finnica Generalis auditores de mutationibus certiores facit. Nomina eorum, qui ad redactionem scripserunt, in indicem auscultatorum includuntur. Quibus horaria nova transmittuntur. Nolite cunctari! Scribite, quaeso, ad redactionem nuntiorum Latinorum inscriptione hac utentes:

Redactio Nuntiorum Latinorum
YLE/ Radio Finland, Box 10
00241 Helsinki / Finland

Liber, cuius est titulus 'Nuntii Latini' textus nuntiorum primi biennii (1. 9. 1989 - 30. 8. 1991) continens venum datur. Liber ornatus est summariis Anglicis Finnicisque atque vocabulario Latino-Finnico-Anglico. Liber constat quinque et quadraginta dollariis Americanis. Ii, qui inter

vos librum illum emere cupiunt, pecuniam assignatione argentaria in antecessum solvere debent, ad:

Finnish Literature Society
Box 259
SF-00171 Helsinki

Pecunia autem quoque alio modo velut charta argentaria (Eurocard, Mastercard, Visa) solvi potest.

Modo illo utentes numerum atque genus chartae argentariae et diem expirationis (expiry date) domui editoriae supra dictae indicare debent. Secundum volumen textus nuntiorum postea emissorum continens mox divulgabitur. Redactio neque phonocasetas neque textus singulos nuntiorum vendit. Licet autem nuntios in phonocasetas ad usum privatum recipere.

Epistula, cuius continentia vobis transmissi, Helsinki Kalendis Novembribus anno 1993° a viro docto nomine Virpi Seppälä-Pekkanen scripta erat.

Barbara Maier



Aenigma

1	2	3	4
2			
3			
4			

1. sollicitudo
2. liquor
3. pars currūs
4. agrum colit

Daniel Weissmann

DE CORPORIS PULCHRITUDINE

In mentibus plerorumque hominum insidet species quaedam corporis pulchritudinis. Proverbium quoddam enuntiat pulchritudinem rationemque coniunctas raro esse. Quod praecipue ad feminas pertinere videtur. Aiunt enim feminas formosas stultas esse et feminas ingeniosas intelligentesque pulchritudine egere. Antiquissimis temporibus imagines feminas mamillis magnis ventribusque rotundis oculis praebent. Fortasse signa haec cum fertilitate feminae aequantur. Mulieres fertilitatis causa illis temporibus plus viris valebant. Postea autem viri sibi conscii virium genitalium in prolem potestatem habere cupiverunt. Qua de causa feminas eligere iudiciumque de pulchritudine earum facere coeperunt. Exemplar pulchritudinis temporibus diversis adsentiebatur. Cultibus vitae variis pulsati viri species formasque diversas pulchritudines adumbrabant. Quae adhuc semper mutatur. Veteres Christiani laudes abstinentiae praedicantes feminas corporum plenorum pro nihilo putabant, immo vero eas moribus corruptas iudicabant. Quinto decimo saeculo p. Chr. n. contra mulieres formis plenis maxime valebant. Usque ad saeculum octavum decimum feminae pingues 'à la Rubens' sensibus virorum fovebant. Initio saeculi nostri mutatio maxima facta est. Feminae forma tenui macraque esse debebat. Hodie tot feminae tantos labores subeunt, ut corpora macra acquirant. Permultae earum chirurgos auxilio vocant. Magna pericula sibi comparant. Praecipue in America magnus numerus mulierum semper macrescentium a medicis curam petunt. Apud nos puellae pupam nominis 'Barbie' corpore tenui in exemplum intuentur. Viri vitam iucundiorum agunt. Venter crassus cursum honorum non impedit. Vir pinguis summum locum et altissimum in civitate gradum obtinere potest.

Barbara Maier



GIBBER

(Narrationis pars prima)

Diutino aestu defessus per vias pigre inambulabam, quas tunc primum, post longum temporis intervallum, mihi revivere fas erat: me incuriosum plerumque ac lentum non modo lassitudo quaedam oppressit, sed etiam sitis acerrima, quin rerum hominum aspectu delectarer. Vici semitas ingressus utroque latere rhododendris palmisque consitas, globorum electricorum figuras mediis viis imminentes tabernarumque inscriptionum seriem, modo plus, modo minus, aspexi. Lentis passibus incedens oculos interdum claudebam, quo plura mentis oculis perspicerem quam paulo ante: peracti temporis memoriae me tamquam somno detentum circumveniebant, huc illuc praeteriturae. Quas cum tacitus volutarem, tum confusus bibentium clamor e thermopolio non magnifico illo quidem, sed, ut videbatur, omnibus copiis abunde instructo, meas offendit aures. Aut procul aut prope conventicula et vultus gestusque confabulantium, qui sub protento carbaso versicoloribus lineis ornato vel tepentis cafaei pocilla sumebant vel levi stipula nivatas olentesque potiones degustabant, modo oculis praetereuntes, non sine cachinnis recensentes modo recentissima quaeque in actis diurnis scrutati. Sub relucens lampadarum corymbis triclinarii huc illuc cursitant, officiose ministrant. Ubi paulum requievi viresque refeci, quamquam primum ex oppiduli moenibus aufugere consilium fuit, quod aegre ferebam feriatos illos homines me curiosius impudentiusve inspectantes, maxima tamen me allexit nescio quae gravis eadem ignota remorandi cupiditas. Itaque celeriter et paene raptim, contempta obambulantium turba, ad portum tetendi, ubi raedarum plaustorumque transitus frequentissimus erat. Multi enim sub porticu finitimasque ante tabernas cuiuslibet aetatis homines morabantur, quorum pars sine proposito vagabantur, pars de mercaturis vivo eloquio disputabant vel occulta verba sibi auribus insusurrantes vel merces venales elata voce ostentantes, ut negotiatorum emptorumque quam plurimi accurrerent. Hominum dictis facetiisque aequo animo

perpensis, manibus ad tergum reiectis, qua visum est pergo. Vespertina litora perlustro: haud mediocri interiecto spatio, iuvenes nonnulli, qui nuper tentoria extruxerant modulatas cantiunculas ad tempus edunt: pacato ore loquuntur, sibi ludos invicem gerunt comiterque reddunt. Pueris ludentibus loca circum fervent: alii ficta bella parant, alii vero, modo expolita saxa maxima brachii vi in freta coniciunt, ut, postquam altius exsiliunt, quam longissime cadant, modo corpora apte flectentes super ipsos aequoris fluctus se audacter iactant, ut venientes ac refluentes undas vix tangere possint. Omnia quietus perspectans pressis gradibus praetereo: aequor, interea, maioribus fluctibus circa saxeas pontium riparumque pilas, quas naves onerariae brevi impetu exsuperant, tumescit, baiuli merces ceteraque onera ex iis navibus deponunt, quae in ancoris iuxta moles constitierunt. Haud longe complures stant lintres, e quibus piscatores nonnulli humida retia emendant atque reficiunt: ex iis alii cantando operam solantur, alii se verborum aculeis pungunt aut sonoros effundunt cachinnos alcyonum vocibus ceterisque clamoribus admixtos. Cum adhuc visae species menti insiderent meae clareque reniderent, gibber quidam me iuxta transit: laceris vestibis indutus haud bene redolet. Aegre praetergreditur, saepe cunctatur, compressis labiis quaedam immurmurat, quae vix intellegi possunt. Intuetur me: dubius incertusque quid faciam nescio. Renidenti ore me adloqui videtur. "Numquid vis?" aio - silet, loqui veretur. Pallidum vultum sudore madidum oculosque glaucos in me defigit, abit: anxius angor eius ex vultu copiose diffunditur, pectoris praecordia concutiens. Ita mihi paulum cogitanti piscator quidam occurrit iuvenis admodum, festivus, ut novi, multis salibus homo ad ludicra effutienda numquam non paratus. "Salve", inquam, e cogitationibus excussus. "Salve et tu", respondit ille. "Novistine eum, qui, paulo ante, te praetergressus est?" - "Nondum", ei comiter fatus. - "Ne ab eo contrecteris cave", maligno ore admonuit; "gravi amentia laborat. Huc se quotidie confert vel cum prima luce albescit, vel cum dies in vesperum inclinat ac multas per horas moratur. Modo clamat, modo ridet, modo incomptos ferosque motus exprimit summa mentis incitatione summoque ardore instinctus. Natura timidus ac difficilis, aequalium incuriosus, plerumque

tristis, quae homines fere omnes exquirunt ipse diligenter vitat: thermopolia, spectacula, cuiusvis generis oblectamenta, adeo ut sint, qui eum semianimum esse mussitent. Amicis omnino caret: quid, praeterea, de eius gibba, quam ut mala omnia avertantur huius vici incolae saepe tangere audent? Ut vere dicam, quamvis omnibus invisus, eum minime fastidio, misereor tamen..."

Hominem ita loquentem non sine stupore intueor, quaeque audivi mecum tacitus considero novissima verba miratus. "Quod tibi nomen?" curiosulus quaero. - "Carolus" promptus ille comisque. Aliquantum temporis consistimus, alter retia emendans, alter animum verbis attente praebens, quae aquarum murmurevolvuntur. Dein, ut brevi tacuit: "Qua de causa misereris eius?" inquam, "qui pavor, qui dolor, dum ita loqueris, intima tua tam crudeliter angit, ut tristi animi motu corripiaris?" - "Gibber ille..." inquit, vox autem faucibus haesit in medio fere rerum ambitu cursuque non amplius tenens verborum circuitum flexumque. Hic atque illic ingentes horridulasque larvarum formas sibi fingens, imaginem suam summis in aquis repercussam, insequi videbatur. Retibus humeris impositis, primoribus tantum labiis immurmurat, puellae e longinquo venienti multo studio citatoque gradu occurrens. Stupore obmutui. Oculis ad vanescentem Caroli figuram conversis, eum revocare studui magno clamore obsecutus. Ipse autem, salute data redditaque, nullum verbum amplius addidit. "Cur hinc te abripis?" inclamo. "Quo cursim ac properanter pergis?... Mane, sodes, enarra." Vespertinis autem se intendentibus umbris, ille omnino cerni desinit: diu mirabundus maneo nec quicquam mecum ipse voluto. Rebus frustra perpensis, iter celerius tendo. Nonnihilo iam temporis transierat: piscatorum cantiunculae vacuas implent auras, ignes, quos iampridem excitaverant quandam nec insuavem festivitatem redolent sudumque illustrant stellis aptum fulgentibus.


"Viden, mater, quantam animi tristitiam senex ille vultu significet?" puellulae inclamat gibberum prope latentem digito ostendens. "Heus, siste gradum, ut ex eo quaeram, num mihi colludere cupiat." - "Eia, eia", Iulia effatur, "redeundi domum iam tempus advenit: nihilne tua refert me a patre tuo asperrimis verbis obiurgari, si sero reverterimus? Tecum ille ludere nequit." - "Quid his dictis adfir-

mas?" subirata quaerit. "Anne puer unquam exstitit nec pueritiae tempora ludis iocisque intentus transegit?" Matris monitu neglecto ad senem accedit. "Numquam tetigisti crustula", trepidanti voce balbutit, "quibus nihil dulcius? Tibi unum, alterum, plura libenter offeram, dummodo mecum parumper maneas. Quid de hac re tibi videtur?" Gibber puellulae caput mulcet eiusque crinibus blanditur, donec, leniter subridens: "Quid", inquit, "mihi bellaria porrigis? Nimis, ut vides, sum aetate provecus: haec ede tu, pupula." Ludunt. Iulia benigne adspicit, utrumque aliquando adloquitur anxios oculos circumferens nescio qua maestitia vel dulcedine eodem fere tempore detenta. Vespere magis magisque ingrue, puella domum redire optat: crepundiis in capsam congestis cito patet pupam fulgenti zona praecinctam deesse. "Habesne pro certo", gibber callide rogat, "te eam tecum attulisse?" - "Sane quidem", illa respondit. Huc illuc abreptam pupam requirunt, nihil autem inveniri licet, eo usque: "Cupisne pupa ubi lateat cognoscere?" interrogat ipse, "...en, adest." Ilico ex propinquo sabuli tumulo refossam utriusque ostendit. Summo gaudio gestiens puellula se in eius amplexum recipit neque misero irascitur quamvis fraude temptata. Iulia senis hilaritatem minime obiurgans non semel, sed saepe udis oculis tuetur et ipse interdum. "Hucne rursum cras reverteritis?" ex iis puerorum more expostulat. Incerto edito responso carpunt hinc prorsus iter. Furtim ac secreto Iulia gibberum respectat, is lente secedit. "Vale, amice, vale..." puella inclamat. "Memento te mecum lusus iocosque crastino die iteratum dixisse..."

Modo dextera modo laeva mater filiam trahit, quae diu comitem digredientem intuita saepe moratur. Aliquamdiu caput inflexi, ut quae videram quaeque audieram perpendere, perinde quasi gravia mecum ipse pensitarem, raras voces vel potius murmura protuli.

(Narrationis pars altera in proximo libello sequetur)

Maurus Pisini



Europäische Lateinwochen e.V., Frankfurt am Main (Germania)

European Language Institute (E.L.I.), Recanati (Italia)

LATINE LOQUI - ROMANE COQUERE

LATINITATEM INTER NATIONES

*Sexta Septimana
Latina Amoeneburgensis*

moderatores: Mechtildis Hofmann et Robertus Maier

quando?: a die 31^o mensis Iulii usque ad diem 06^{um} mensis Augusti anno 1994^o

ubi?: Bildungszentrum Johannes-Haus et gymnasium Amoeneburgense, D-35287 Amöneburg (Amoeneburgum apud Marburgum)

pretium: 330.- DM pro victu et habitatione in domo, cui nomen "Johannes-Haus" (maximus numerus participum erit 35), 120.- DM pro institutione (includitur pretium pro duabus cenis Romanis et pro excursionibus)

Inscriptiones ad hanc *Septimanam Latinam* petuntur usque ad diem 15^{um} mensis Iunii ad:

Robert Maier
Dresdener Straße 10
D-63225 Langen

Vos, discipuli, studentes, magistri sermonisque Latini amatores ad sextam *Septimanam Latinam Amoeneburgensem* invitamus. Discite Latine loqui! Cognoscite homines ex diversis nationibus! Studia Latina vestra fructus ferent. Hoc inter colloquia, ludos, convivia experiemini et exercebitis. Novum aditum ad cultum Romanum atque Europaeum demonstrare volumus. Sermo Latinus quam ad litteras per saecula exprimentas tam in vita cotidiana adhuc valet. Etiam res coquinarum Romanas colimus, ut iucundam partem vitae Romanae antiquae cognoscamus. Apportate etiam, si vobis placet, instrumenta musica et photomachinas vestras! Si plus scire voletis, telephonate ad:

Robert Maier, tel. (0049)-69-64353036

Vos salutant

Mechtildis Hofmann et Robertus Maier

*Seminaria «Latinitatis vivae»
anno 1994^o futura
Morsacense et Vavriense (Belgicum)*

57. Morsāci [Morschach] in Helvetiā, qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum «Quattuor Pagorum» situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur.

17.7.-23.7.1994

58. Vavriense [Wavre] in Belgica, qui locus ab urbe Bruxellis aliquibus viginti quinque chiliometris abest, ubi praeter satis spatiosum oecum institutorium multae commoditates exhibentur.

5.8.-12.8.1994

Sunt autem seminaria nostra «*Latinitatis vivae*» prima huius generis, quae inde ab anno 1973^o intra Germaniam et extra instituebantur.

Interea vero alibi quoque complura seminaria quaedam offeruntur, ubi praeter alia non paucae acroāsēs qualitatis variae fiunt. Sed in nostris his seminariis participes singillatim inducuntur, ut *Latine loquantur*, id quod in scholis vel alibi vix fit. Sententiae autem et locutiones necesse est sint *vere Latinae*. Itaque etiam neologismi, id est verba novata, sint coloris *vere Latini*, ut et pronuntiatum *vere Latinum* proponitur et exercetur. Harum rerum problemata suscipiuntur solvenda, cum necessarium sit, ut etiam de condicionibus rebusque temporis nostri bene convenienterque *Latine loquamur*. Maximi tamen momenti est ipse *usus linguae Latinae* iugiter indesinenterque exercendus.

Themata autem, quae in seminariis tractantur, sunt et hilaria et seria, et cottidiana et scientifica, et historica et hodierna.

Denique moderator horum seminariorum erit **Dr P. C. Eichenseer**, qui iam ab anno 1973^o talia seminaria suscepit prosperrime moderanda, quippe qui esset *Latinitatis omnium aetatum vere peritus*. Eius cooperatrix, **Drrix Sigrides Albert**, iam ex compluribus annis eos imprimis, qui primum adsunt, sed etiam alios, delectabiliter diligenterque in consuetudinem *Latine loquendi* inducit.

Denique pro ipsa *institutione unius septimanae* 150 marcae Germanicae solvendae sunt, quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem nummariam (*pecunia pro pernoctatione et victu in deversorio solvenda est*):

VOX LATINA
18353-661
Postgiroamt Saarbrücken
BLZ 590 100 66 (BR Deutschland)

Morsācensē seminarium Helveticum qui participaturi sunt, mittant epistulas chartulasque interrogatorias nominaque dent definitive, si tardissime duobus mensibus ante initium, ad

SOCIETATEM LATINAM
Universität - FR 6.3
Postfach 1150
D - 66041 Saarbrücken (numerus telephonicus:
0681/302-3192)

Vavriensē seminarium Belgicum qui volunt participare ratione epistulari vel telephonicā adeant satis mature D.rem Gaium Licoppe Bruxellensem:

M. le Docteur Guy Licoppe
Avenue de Tervueren, 76 (numerus telephonicus:
B-1040 Bruxelles 4 (02) 7350408)

SOCIETAS LATINA

Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

Hier bitte frankieren

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:) -----
Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
8050 Zürich

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

AZB

8050 Zürich

2/94

IDIBVS MAIIS

MCMXCIV



RVMOR VARIVS



TOMVS 17

FASC.103